


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum die Martis decimâ-septimâ Januarii M. DCC. XLI.

M. LUDOVICO LEMERY, Regis Consiliario, & Medico ordinario, Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, & in Horto Regio Chimiæ Professore, Doctore Medico, Præside.

An proxima, quâ corpus alitur, materies à rubrâ sanguinis parte diversa?

I.


RBICULAREM Fluidorum in machinâ Hydraulico-Pneumaticâ motum, vitam animalem constituere rectè dixeris. Sequuntur necessariò ex eodem motu, partium effluxus, & abrasio indesinens; quoniam perpetuo nisu invicem agentium Solidorum & Liquidorum, moleculæ partium solidæ deteruntur, atque unà cum portione superfluâ Liquidorum avolant. Diffluunt hæ per extremas arteriarum appendices, & per cutis poros viam sibi parant insensilem. Hoc autem effluxu maximè rarefieret corpus, & intra paucos dies deficeret animal, nisi continuò resarciretur dissolutionis hujus dispendium. Indè exurgit alimonii necessitas, succi scilicet alicujus qui vacua proximè occupet spatiola ab

effluxis moleculis derelicta, & qui vi circularis motûs adactus, partes omnes sustentet ac nutriat.

II.

PLACUIT Antiquis spermaticarum & sanguinearum corporis partium distinctio, & tamen utrisque succum nutritium sanguinem finxêre. Neoterici partes omnes spermaticas esse observarunt; & proindè quas Veteres sanguineas dixerant propter affusionem sanguinis, non secùs ac aliàs, succo à rubrâ sanguinis parte diverso, nutriri pronuntiarunt. Ex his non pauci succi nutritii nomine Chylum donaverunt, cujus moleculis, mediante sanguine, ad partes delatis, quod ex iis deperiisset, reparari existimavêre. Qui liquor tenuitate suâ omnes corporis partes penetrare ac pervadere potis est, qui gaudet particulis ductilibus, mollibus, glutinosis, congelari & concrescere maximè idoneis, is esto quem quærimus succus nutritius. Hunc verò nec esse Chylum saltem è plantis exortum, nec rubram sanguinis partem ostendit quæ sese offert ultrò sequens ratiocinatio; præter quam enim antè chylificationem extitit nutritio, quin & antè ipsam sanguificationem; nec Chylus è vegetabilibus petitus, nec rubra cruoris pars requisitas ad perfectam nutritionem dotes habent in eo maximè succo reperiendas qui sanguinem existentiâ præiit, succorumque nutritiorum haberi potest exemplar & index.

III.

PRIMÆVA humorum omnium lympha. Huic præparandæ apta nata sunt varia organa, canales pulsatiles, oscillantes fibræ, pistilla, molæ, quibus lævigatur permixta sanguini Chyli portio in lympham evasura; si Chylus ex alimentis vegetabilibus ortus; si enim ex animalibus, lympham continet absolutam: dubitas? Qui è carnibus, aut aliis animantium partibus elixis, exprimitur succus, à calore remotus instar lymphæ congelatur; calori dein expositus, instar lymphæ liquescit; continuato calore verum in gluten abit, ut lympha; iisdem omninò principiis constat analysi dignoscendis, & lymphæ in omnibus similis; quodquidem in elixis plantarum quarumlibet partibus eodem modo perpensis minimè observatur, & reipsa diversum. Lympha igitur humor est benignus, qui primus fibrillarum vim oscillantem experitur, & à quo cujusque partis stamina crescendi initium faciunt. Hic enim embryonis membra vixdum delineata vivificat, expandit, & nutrit ante natum sanguinem; eidem succo, piscis instar, innatat materni uteri carcere clausus, membranisque septus, huncque ipsi per umbilicalia communicat mater. Nec utero tenùs officium lymphæ continetur, quæ ut nascituro vires dedit, ita & in lucem erumpenti, & jamjam nato parvulo adauget & confirmat. Eâ subindè & minutatìm dilatantur canales & vasa ad totius corporis incrementum; eâdem usque subsidiariâ jam adultus effluxus detrimenta recuperat; illâ partes omnes vim suam & molem tuentur. Tandem sanguineas partes lymphâ nutriri negas? Has, calidâ multoties affusâ aquâ, colore spoliabis rubro, sensuque percipies illas incrementum suum & nutritionem lymphatico succo debere. Urges adhuc? Carnes explora, vasa, membranas, cartilagines, ossâ ipsa, coctione mollia reddes, fibrosumque deteges partium omnium contextum. Hæc omnia, ut dictum, Gelatinam fundent, totaque ferè in mucaginem diuturniori coctione abibunt. Est enim nutritio generatio quædam continuata & quibus constant corpora, iisdem nutriuntur.

IV.

SCIRE optas quid sit humidum primigenium. Lympha, ros ille salutaris & benignus quo cunctæ, dum allabitur, irrigantur partes & reficiuntur, non secùs ac succi nutritii, humidi etiam radicalis nomen jure sibi vindicat. Si Physicos cujusvis ætatis audiamus, sanguis massa est è quatuor humoribus constans & per vasa excurrens; sanguis autem propriè dictus, portio istius massæ magis temperata, ad calidum & humidum devergens, & colore rubro perfusa. Sanguinem alii asserunt ex salium vario genere conflatum, sulphuribus contemperatum, phlegmate dilutum, & fermentorum omnium parentem; si verò liquorem hunc alio modo consideraveris, duplicem in sanguine partem animadvertes, rubram nempè & albam. Rubræ usus incognitus, fortèque nullus, cùm non pauca animalia illâ careant: saltem in eâ positam succi nutritii essentiam ne existimes, quâ destituuntur multæ corporis partes, quæ tamen nutriuntur & vivunt; istud etiam probat illius proportio cum albâ, quæ est quasi unum ad tria: hæc siccata rubrum exhibet pulverem; alba verò in portionem fibrosam, gelatinosam, & aqueam dividitur. Fibrosa oculis conspicua; igni si serum apponas, gelatinosam observabis: hæc est sensibilis & mecanica cruoris resolutio, ex cujus parte albâ multoties trituratâ, & ad tenuitatem eximiam redactâ, exurgit lympha illa limpida, corpori novas afflatura vires, molemque auctura, vel saltem conservatura.

V.

ALIMENTA in ore dentibus divisa, affusione aquei humoris, seu salivæ, laxata mollescunt, & in ventriculum diluta cùm pervenere, potûs & aquei humoris iteratâ permixtione ulteriùs diluuntur, agentibus & conterentibus carneis ventriculi fibris, interiorisque ipsius tunicæ rugis, necnon Diaphragmate musculisque abdominis, quorum omnium repetitis percussionibus, ingesta hæc alimenta in liquorem variæ molis & figuræ partes continentem, sensuque homogeneum convertuntur. Primâ tenuioris dilutiorisque hujus liquoris secretione factâ, post bilis & succi pancreatici affluxum, contorquetur hic per vasa lactea, & per alios ductus ad cor devehitur; undè tamquam ex Antliâ vibratus in pulmones unà cum sanguine, inibi aëris vi rursùm premitur teriturque; indè per pulmonum venas redux, iterùm & eâdem vi in omnes corporis partes impellitur, hæcque vis immensa pulsatilis familiæ ipsum etiam ex iisdem refluum facit per arterias recurvatas seu venas: sunt enim illarum continuatio. Chyli itaque partes in dextro cordis ventriculo & in pulmonibus tritæ, eandemque rursùs torturam in altero cordis sinu expertæ, tandem ulteriùs in Corculis anfractuosis vel arteriis comprimuntur, ad bifurcationes alliduntur, variis etiam musculorum artuum motibus, membranarumque pressione continuatâ magis ac magis atteruntur. Quanquam autem alimenta in Chylum conversa, in singulis quas transgrediuntur partibus indesinenter comminui concedamus, ne putes varias & intimas, quæ ipsis successivè adveniunt, alterationes à tritu profisci: is quippè in integrantes solummodò mixtorum partes agit, hâcque actione, quâ partes illæ tenuitatem majorem tantùm acquirunt, nequaquam immutatur propria illarum natura. Cortex peruvianus in pulverem, licet tenuissimum, redactus, vim febrifugam servat, eâque non differt à cortice peruviano, qui est integer, aut crassiusculè solùm tritus. Variæ autem & essentiales particulæ, quibus singula pars integralis conflatur, solius

fermentationis vi ſubjiciuntur; ſola hæc eas attingit, & diverſè combinat, arctiùs unitas extricat, evolvit, diducit; parùm aut minimè connexas intimè conjungit, ſicque nova continuò mixta producit dotibus novis & peculiaribus donata. Fermentationis cauſa eſt materies ignea, à Sole emanans, corpora fermentationi idonea, quales ſunt ſinguli corporis noſtri liquores, perpetuò pervadens, iiſque neceſſariò fermentationem inducens, undè variæ illorum alterationes quibus impar omninò tritus. Dubitas? Exemplo ſequenti certior fies. 1°. Si Plantarum interiora, earumque præſertim quibus animalia quædam aluntur, Analyſi Chymicâ attentè conſideraveris, maximam in iis ſalium fixorum copiam, minimam aut nullam volatilium invenies. 2°. Si ſimiles Plantæ tritu priùs & exquiſitè ſubactæ & comminutæ, Analyſi dein exponantur, nihil indè tunc elicietur diverſum ab iis ſubſtantiis quas ſuppeditant, ubi ne minimum quidem fuerunt contuſæ. Denique ſi fiat Analyſis ſingularum partium quibus conſtant quæ Plantis unicè vixerunt animalia, maximam in his ſalium volatilium quantitatem, fixorum minimam obſervabis; undè patet ſales Plantarum fixos in animalibus volatiles factos: & cùm experientiâ compertum ſit tritum iſtius converſionis omninò eſſe incapacem, hanc fermentationi, quæ ex dictis, in animalibus neceſſariò viget, eò confidentiùs tribuimus, quòd Chymia nos doceat, in duabus ejuſdem mixti vegetabilis portionibus, quarum una ſufficienter aquâ diluta fermentationem ſubiit, & altera defectu iſtius liquidi ſimilem non paſſa eſt fermentationem, idem omninò Analyſeos ope obſervati quod in Plantarum & animalium minimè carnivororum analyſibus ſimul collatis jam obſervatum.

Ergo proxima, quâ corpus alitur, materies, à rubrâ ſanguinis parte diverſa.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Adrianus Malaval, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Caſtelleto & Rei Herbariæ Profeſſor aeſignatus.	*M. Franciſcus-Felicitas Cochu.*	*M. Joannes-Baptiſta Silva, ſalubris Conſilii Regii Socius, & Sereniſſimi Principis Condæi Medicus ordinarius.*
M. Jacobus-Albertus Hazon.	*M. Ludovicus-Florentius Bellot.*	*M. Joannes-Baptiſta-Thomas Martinenq.*
M. Claudius-Carolus Dejean.	*M. Joannes de Dieſt.*	*M. Franciſcus Pouſſe.*

Proponebat Pariiſiis CAROLUS GEILLE DE SAINT LEGER, Claromontanus, Bacalaureus Medicus, A. R. S. H. 1741. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.